

## PRAEFATIO

### EDITIONIS V.

Ad honeste parandam quintam Horatii mei editionem meum esse vidi, et ipsius poetae versus iteratis curis subicere et adnotationes denuo diligenter examinare. Quapropter ne nunc quidem omisi, praecipuas aliorum editiones, in iisque novam Kellerei (1864) et Peerlkampii alteram (1862), accurate comparare et consulere; sed bis tantum coactus sum receptam ante lectionem mutare, reliqua recte scripsisse mihi visus sum. Etenim Carm. I, 23, 5 nunc cum Meinekio et Kellero codicum auctoritati Gogavini, Mureti et Bentleii coniecturam *vepris ad ventum* praetuli, et Carm. III, 3, 12 *bibet* scripsi, quam scripturam iam Quaest. Horat. part. I. II. (Bonnae 1841) p. 21 commendaram, sed recipere inter poetae verba non eram ausus. In adnotationibus non pauca sunt, quae corrigenda esse intellexi; qui comparaverint, ipsi videbunt quae sint vel limata vel resecta vel addita. Nec raro interductum mutavi, veluti Sat. I, 1, 95. 105. 3, 65. 4, 63. 5, 15 sqq. 7, 72. II, 6, 34. Epist. I, 6, 29. 16, 59. 17, 32 alias. De ordine, quo carmina Horatii per libros disposita sunt, novam nec fortasse inertem adnotationem p. 17 sq. addidi; conspectus etiam metrorum quaedam additamenta accepit.

Vratislaviae Idib. Mai. MDCCCLXVII.